Dominica IV. post Pascha.

Ad Missam.

Oratio.

Deus, qui fidélium mentes únius éfficis voluntátis: ✠ da pópulis tuis id amáre quod præcipis, id desideráre quod promíttis; * ut inter mundánas varietátes, ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gáudia. Per Dóminum.

2. de S. María. - 3. pro Ecclesia vel pro Papa.

Lectio Epístolæ beati Jacobi Apostoli. *Jac. I. c.*

Caríssimi: Omne datum óptimum, et omne donum perféctum desúrsum est, descéndens a Patre lúminum, apud quem non est transmutátio, nec viscissitúdinis obumbrátio. Voluntárie enim génuit nos verbo veritátis, ut simus inítium áliquod creatúræ ejus. Scitis, fratres mei dilectíssimi. Sit autem omnis homo velox ad audiéndum: tardus autem ad loquéndum, et tardus ad iram. Ira enim viri, justítiam Dei non operátur. Propter quod abjiciéntes omnem immundítiam, et abundántiam malítiæ, in mansuetúdine suscípite ínsitum verbum, quod potest salváre ánimas vestras.



✠ **Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.** *Joann. 16.*

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vado ad eum qui misit me: et nemo ex vobis intérrogat me: Quo vadis? Sed quia hæc locútus sum vobis, tristítia implévit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis: éxpedit vobis ut ego vadam: si enim non abíero, Paráclitus non véniet ad vos: si autem abíero, mittam eum ad vos. Et cum

vénerit ille, árguet mundum de peccáto, et de justítia, et de judício. De peccáto quidem, quia non credidérunt in me: de justítia vero, quia ad Patrem vado, et jam non vidébitis me: de judício autem, quia princeps hujus mundi jam judicátus est. Adhuc multa hábeo vobis dicere: sed non potéstis portáre modo. Cum autem vénerit ille Spíritus veritátis, docébit vos omnem veritátem. Non enim loquétur a semetípso: sed quæcumque áudiet, loquétur, et quæ ventúra sunt, annuntiábit vobis. Ille me clarificábit: quia de meo accípiet, et annuntiábit vobis.

Credo.





Secreta.

Deus, qui nos per hujus sacrifícii veneránda commércia, únius summæ divinitátis partícipes effecísti; præsta, quǽsumus: ut, sicut tuam cognóscimus veritátem, sit eam dignis móribus assequámur. Per Dóminum nostrum.

***2.** de S. María. - **3.** pro Ecclesia vel pro Papa.*
***P**ræfatio Resurrectionis.*

Postcommunio.

Adésto nobis, Dómine Deus noster: ut per hæc, quæ fidéliter súmpsimus, et purgémur a vítiis, et a perículis ómnibus eruámur. Per Dóminum nostrum.

***2.** de S. María. - **3.** pro Ecclesia vel pro Papa.*